

* I * H * V * S *

~~G. H. #.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-23.

SIGNAT. CCCXIII.

Einzelne verstreut
1941.

Stückzettel erled.



ELECTORALIUM

Saxon. Alumnorum.

GYMNASMA SECUNDUM,

De

LAPSU PRIMI

HOMINIS,

Altissimo annuente,

Sub moderamine

NICOLAI HUNNIE

S.S. Th. D. & P. P.

Elector. Alumn. INSPECTORIS,

In inclyta Wittebergensi Academia

Propositorum

M. BALTHASARE FURMANO

Witteb. Saxone, Facult. Philosophicæ Adjuncto,

RESPONDENTE

JOHANNE NAUMANNO Grimense.

*Habebitur disputatio die 28. Novemb. horâ i. pomerid. in
auditorio Alumnorum Electoralium.*

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XLIX.

598

20

TRIGÆ VIRORUM

*Nobilitate, dignitate, prudentia,
Antiqua, Reverenda, exquisita.*

*PRÆCELENTISSIMÆ
DOMINIS:*

IN ERNESTO à PONICKA
in Naswenhoff &c. hæreditario, Equiti
Misnico splendidissimo

M. IOHANNI ALBERTO Ecclesiæ Grim-
ensis Pastori & vicinarum Superatten-
denti vigilantissimo:

JOHANNI MAURITIO Consuli, cæ-
terisq; Reipub. Grimensis Senatorij ordinis.
virtus honoratissimus,

**PATRONIS,, MECOENATIBUS,, FAU-
TORIBUS, MEIS,,**

Quos:

EX INTIMO AFFECTU
Suspicio, Colo, Veneror,
MAGNIS,
HANC.

*Dissertationem, Theologicam.
Merito Libens.
Quia debui, Quia volui.
D. o.*

JOHANNES NAUMAN Grimensis
Alum. El. S. Th. Studiofus.

DISPUTATIO II.*De***Lapsu primi Hominis.****PRÆLOQUIUM.**

Ivino illi γνῶθι σεαυτὸν, cuius utilitatem & necessitatem in primæ disputatio-
nis Præloquio vidimus, aliud γνῶθι, idq; du-
plex addi, & inde triplex γνῶθι pro meliori
& pleniori nostri cognitione non incōmo-
dè constitui potest. Primum εἰ γνῶθι θεὸν,
secundum γνῶθι σεαυτὸν. γνῶθι Διάβολὸν,
in Deo agnosce bonitatem, Justitiam,
sapientiam, sanctitatem, Integritatem &
Immortalitatem; In te agnosce Imaginem DEI, ad quam crea-
tus, sapientiam in intellectu, sanctitatem & libertatem in vo-
luntate; puritatem & integritatem in appetitu, Impassibilitatem,
& Immortalitatem in corpore: In te agnosce peccatum, quod in
locum concreatae imaginis successit, In patre tuo Adamo agno-
sc lapsum, ex quo intellectus tui tenebras, voluntatis malitiam,
appetitus inordinationem, corporisq; mortalitatem cognosces:
Agnosce in Diabolo fraudem, mendacia, & malitiam, & invidi-
am, quibus primos parentes adortus summā illam felicitatem
ipsis eripuit. γνῶθι θεὸν si rectè aestimaveris, Protoplastorum la-
psus causam Deo ascribere non poteris, quippè quod eundem
omnis boni authorem cognoveris: γνῶθι σεαυτὸν, si per-
penderis, Te ad imaginem Dei & sic Immortalem inveneris;
γνῶθι Διάβολον si tibi ante oculos, & mentem posueris, callidita-
tem & malitiam diaboli, qui primos parentes è felicitate con-
creata derubavit, melius aestimare & cavere didiceris: si ve-
ram tui notitiam adeptus fueris, non facilè in Dei, ejusq; bonita-
te, aut diaboli ejusq; malitia cognitione erraveris: Noticiā tui vel
ex tui ipsius, vel ex tui primi parēris inspectione accurara haurire
poteris

poteris: Utramq; si conuenieris, perfectiorem habueris. Cum ergo ex generali peccati consideratione nos ipsos noscere praemissa disputatione inceperimus, Nunc ex speciali primi lapsus diligentia contemplatione nostram miseriam estimare discemus, Cum tota & nostri & peccati cognitio ex hoc primo Adami lapsu plurimum lucis accipiat: Primum enim lapsus ut ceteris peccatis omnibus originem, sic eorundem etiam pleniorum cognitionem dabit. Quæstiones autem quæ circa lapsum primi hominis moveris solent, præcipuas cognituq; maxime necessarias consideratur, methodumq; in praemissa disputatione ostensum secuturi, illustratum tres discutiemus: Prima lapsus istius causam. 2. Quidditatem. 3. Effectum docebimus. Tribus ipsis cognitis, reliqua circa hunc lapsum occurrentia facilius & intelligi & decidi poterunt. In prima quæstione cum Calvinianis, in 2. cum Pontificijs, in 3. cum Photinianis præcipue res nobis erit.

QUÆSTIO I.

Quænam lapsus primi hominis causa fuerit?

THESES I.

Per lapsum Adami hic nihil aliud, quam malum illum actum, quem Adam legem Domini violans commisit, aut primum illud peccatum actuale primam vel legis de non comedendo ex arbore scientia boni & mali, transgressionem intelligimus, in cuius causam non immitio studiosissime inquitur, quia a diversis diversa allegari solet.

I. Nos ductum sacrarum literarum sequentes veram hujus lapsus causam statuimus duplicem, Incitantem seu Externam Unam (nonnullis causa Efficiens remota dicta.) Efficientem seu Internam alteram (que alijs propinqua Efficiens nominata est.) Extrinsecam lapsus causam Uno Verbo dicimus ipsum diabolum. Cuius assertionis caput tertium Genesios fundamentum constitui mus, in quo serpens Eum adortus, cum ea colloquium de sensu præcepti divini instituisse & ad violationem legis divinae sollicitasse legitur.

III. Ad

III. Ad coincendam causam hanc Extrinsecam duō; quæ hic
controversia occurunt, discutienda veniunt, quorū primum
est, serpentem hunc, qui discursum cum Eva instituit, non nu-
dum serpentem physicum, sed ipsissimum diabolum sub forma
serpentis accedentem fuisse. Id quod ex ipsa historia Mosis evi-
dentissimè probari potest.

IV. 1. Ex ipso discursu, quem serpens instituisse legitur,
quem animali irrationali tribuere planè contra omnem ratio-
nem & sensum est: Lingua enim articulata uti, de religione, de
cultu religionis, de præmijs & pœnis (hæc enim omnia in illo di-
scursu contineri nemo verba illa serpentis accuratius & stimans
negabit) disputare in mandatum Dei cællidissimè dubium facere
& pervertere, aliumq; sensum eidem affingere, non animalis bru-
ti, sed Creaturæ Rationalis propriū esse nemo est, qui non videat.

V. 2. Ex parte pœnæ huic serpenti inflictæ, quæ fuere inimicitiae
illæ inter homines & serpentis semen posita: Quæ inimicitiae
licet etiam ad naturale illud odium inter homines & serpentis re-
ferri possit, tamen quod odium illud non ad ipsum Diaboli semen
etiam referendum sit, omnino negandum videtur, si inimicitia-
cum vehementiam expenderimus, quæ certæ tantæ dicuntur; ut
etiam capit is conculationem importet, Quomodo vero tantæ
inimicitiae, ut altera pars alterius non caudam, non oculos petat,
non aliquam ejus vulnerationem, sed omnimodam capit is con-
tritionem querat, inter serpentem physicum & hominem consi-
stent?

VI. Partem quidem pœnæ etiam ad serpentem physicum refe-
rendum esse lubentissimè conceditur, Id quod in horrorem & ex-
aggerationem peccati factum fuisse existimandum est; sicut ibos
occidens hominem lapidari & dominus bovis occidi, Exod. 21,
24. sicut Jumentum cum viro coiens interfici jubetur, Lev. 20, 15.
VII. 3. Ex ipsius factæ Scripturæ clara expositione, in qua ad istum
lapsum respici & causam illius non serpenti physico sed ipsi dia-
bolo ascribi sit evidentissimum. Hinc Sap. 2. Mors, quæ la-
psus hujus stipendum est, invidia diaboli in orbem terrarum
introisse, Hinc Joh. 8. ver. 44. Diabolus pater mendaciorum
dicitur. Hinc factum, ut Diabolus ob assumptam larvam.

A. 3. *ad hanc causam quæ-*

quā in deceptione Evae usus fuerat. Serpens tortuosus Esa. 27:1. serpens cogitationes corruptus 2. Cor. 11, 3. serpens antiquus. Universum orbem seducens appellatur Apoc. 12, 7. 20, 2.

VIII. .4. Ex testimonio Augustini lib. II. cap. 2. ad Genesim, ita dicentis: Diabolus instinctu suo serpentem implevit, eiq; spiritum suum miscuit, eo more, quo postea Vates dæmoniorum implere solitus fuit: Et lib. II. cap. 29. Locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Bileam, locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc vero angelicum.

IX. .5. Probationibus istis historiae diabolorum ex obsessis laicis Latinis Hebreis, aut de Philosophia Graecorum philotheophantum, Cum tamen ante non Hebrei nec Graeci noverant; Et exemplum asinae Bileami verba illa, quæ proferebat, non intelligentis, cum quibus verba illa serpentis non incommode conferre possemus, adjici possent: Verum fundamentis illis ex lapsus historia & scripturæ allegatione contenti, pluribus probationibus addendis supersedemus.

X. .II. Notandum & hoc est, serpentem illum fuisse verum & naturalem serpentem, Id quod probatur 1. ex clara serpentis appellatione: Nam Gen. 3. reliquis animalibus annumeratur & expressè serpens appellatur, quo diabolus utpote omnium animalium callidissimo, itaq; tentationis & mendaciorum aptissimo medio diabolus uti voluit. Ab hoc literali & historico Moysis sensu cur recedendum sit, hactenus nullatenus satis firmam rationem vidimus. .2. Ex pena serpenti inficta, quæ triplex, maledictio, gressus & victus mortatio exprimitur.

XI. Neque tamen ex eo, quod serpentem Physicum, qui ipse omniaibus animalibus astutior fuit, diabolum excludendum esse sequitur. Tantum enim omnes bestias agri, nequaquam vero ipsos homines ad imaginem Dei conditos calliditate sua superasse serpens legitur Gen. 3.1. Atque haec de causa lapsus Extrinsecata.

XII. Intrinsecam quod attinet, fuit illa nulla alia, nisi ipsius hominis propria voluntas, quæ diabolo assentiebatur, qui assensus, si ad causam illam Externam diabolitatem non accessisset, effectus iste, lapsus & mandati divini transgressio nunquam consecutus fuisset. Hinc sit, quod Scriptura sacra ipsi homini, tanquam

t: inquam causæ efficienti lapsum & peccati in mundum introductio[n]em scribat, quando Rom. 5. 12. Peccatum per Unum hominem & per peccatum mortem in mundum intravisse expressissime affirmat.

XIII. Plurimis & intricatissimis scrupulis involuta est hæc nostra assertio; qui nim. fieri potuerit, ut homo ad imaginem Dei in sanctitate & justitia & sapientia creatus labi potuerit? quomodo naturalis illa ad bonum propensio cum ista aversione mentis à D[omi]ni præcepto consistere possit? Quam difficultatem declinari posse existimamus, si diligenter ad sequentia duo attendamus.

XIV. 1. Homini nontantum naturalem ad bonum propensionem, sed etiam voluntatis libertatem & facultatem avertendi sese à bono concretam fuisse: alias enim non homo sed brutum fuisset, nec Deo libero & spontaneo spiritu servire potuisset. 2. Voluntatem lapsus causam esse non qua voluntas aut quā bona sed qua jam virtuosa facta erat & sponte à lege deflectere inciperet.

XV. Ab ipsa quidem voluntate fuisse hunc lapsum necessarium statuendum est; nisi aut hominem planè omni culpa eximere, eandemq[ue] vel planè in Deum, vel in diabolum transferre velimus: Verum id omne per accidens factum est, quia voluntas illa insesse bona mala siebat & falsa diaboli persuasione, quam personationem quia intellectus pro verâ assumebat, & mala voluntati sub specie boni offerebat, voluntas assentiebatur, & id quod ab intellectu sub specie boni propositum erat, eligebat.

XVI. Dux istæ lapsus causæ cum solæ in S. Scriptura assignatae reperiantur, nec minima quidem alterius alicujus causæ mentio occurrat, sequitur, Deum nulla ratione peccati efficientem causam dici posse. Quomodo ergo Deus lapsu[m] hunc ab æterno voluisse & decrevisse? Quomodo diabolum ad seducendum provocasse? quomodo hominem ad consentiendum impulisse aut labilem, ut labi posset, condidisse, sine gravissima horribilique impietate & blasphemio dici poterit? Quod tamen Calviniani omni pietatis, omnis Scripturæ saeræ, omnis conscientiæ, immo omnis rationis, (quam tamen Calviniani alias fidei lux magistrum constituunt) cui ipsorum fundamenta de decreto divino reclamant, oblii affirmare non verentur; quorum sententia apud

Calvin-

Calvinum lib. 3, Instit. cap. 13. & 23. Theod. Beza in' Colloq.
Mompelg. ex proprijs ipsorum verbis ipso sono horrendis plenis-
simè cognosci poterit?

XVIII. Quomodo horribile illud DEI decretum (ut ipsi nominant) propugnare poterunt, cum Deus in genere omnia peccata gravissima voce damnat, execretur, prohibeat? quomodo Deus lapsus hunc decernet & velle potuit, in quo impediendo totus fuit, & propterea peculiari lege eum poni interdixit? Num illud, quod fieri voluit, interdixit? Num primi parentes fructum vectitæ arboris comedentes peccare Deumq; ad iram commovere potueré, cum tamen id, quod Deus eos facere voluit & decrevit, imò ad quod ipsos impulit, fecerint? Num is, qui Dei voluntatem facie, peccabit? Quomodo justicia Dei facientes id, quod fieri voluit punientis salva esse poterit? Num qui Dei voluntatem faciunt, pœna tanta digni sunt? Quomodo Deus Diabolum punire & tantas inimicitias à semine mulieris minari potuit, qui tamen ad hos factum ab ipso provocatus fuerat? Scrutentur Calviniani omnes suæ rationis, quām alias fidei suæ magistram constituunt, penitiores recessus, & ista impossibilia, si possunt, concilient. Nobis properandum est ad alias quæstiones.

QUÆSTIO II.

De lapsus primi Hominis quidditate

I. Lapsus primi hominis cum sit ex numero actionum, hæ autem ex numero Entium per aggregationem, quorum forma & quidditas Uno aliquo termino seu genere exprimi nequit, Ita facile definiri, aut quid propriè sit, explicari non potest, præsertim cum non una aliqua actione, sed plurimis concurrentibus ijsq; omnibus. Esse hujus lapsus constituentibus absolvatur.

II. Eundem enim lapsus si exactè cognoscere, & quidditatem ejus a se qui voluerimus, oculos & cogitationes nostras non ad Unicum illum actum Externum in arreptione, decerpione & coniectione Unici illius pomi consistentem convergamus: Hoc enim

enim modo nimis tenuiter de isto lapsu sentiemus: Sed omnes & singulos viciosos actus, quorum plurimi in hoc unico lapsu concurrerunt, cogitare & estimare necessum habemus.

III. Qui viciosi actos omnes ut melius observentur, lapsus iste I. secundum omnia Decalogi præcepta examinandus, sicut enim quidditatem & magnitudinem ejus facilius depræhendemus, Quoad primam Decalogi tabulam, fuit in Eva maxima dubitatio & incedulitas, quod præceptum Domini, cuius memoria sancto sancta & omni dubitatione major esse debebat, in dubium vocare ausa fuit. Erat perversissima ejusdem mandati depravatio, ipsiusq; justissimæ iniquitatem accusatio, dum verba illa, ne tangemus, Præcepto Dei de suo falsissimè annexit, Deumq; qui tacitum poni prohiberet, iniquitatem accusat, Et sic præceptum DEI contemnit, ipsoque actu violat.

IV. Quoad secundam tabulam erat intollerabilis in Deum patrem Ingratitudo, à quo corpus & animam, omniumq; creatarum rerum usum acceperat, erat horrendum homicidium, tum in seipsum, tum in omnes posteros commissum, quos secum in temporalem & æternam mortem præcipitavit, Erat perfidia in maritum, quem in societatem peccati & pœnæ pertraxit, Erat alienæ & severissimè interdictæ rei attractio, Erat apertissimum mendacium, quasi Deus etiam tacitum istius fructus vetiti interdixisset, Erat illicitum felicioris status majorisq; scientiæ desiderium.

V. 2. Lapsus iste secundum triplex præstantissimum objectum æstimetur; peccabat enim in Deum, quem honorare, perpetua laude & gratiarum actione protot & tantis acceptis beneficijs celebrare, ejusq; præceptis obœdire debuisset, ejus veritatem & justitiam in dubium vocat, eumq; mendacij, falsitatis & iniquitatem non obscurè arguit; Peccabat in proximum, omnesq; posteros, quos è beatissimo statu æternæ damnationi secum subjiciebat; Hoc peccatum quantum fuerit, vix cogitari, nedum verbis satis exprimi potest; quo plures enim quis in peccati & pœnæ societatem secum producit, Eò gravius ipse peccasse censendus est. Peccabat in seipsum, quem non solùm concreata imagine spoliabat, sed etiam contrarium habitum vitiosum, pœnamq; inditam acceptabat.

VI. 3. Lapsus iste etiam ex lege, quam transgressus est homo, judicandus est, quam obervatu faciliam fuisse quilibet ex eo colliget, quod Deus omnium fructuum in universo Paradiſo liberrimum & innoxium usum concesserat, ac unius unicæ arboris tantum esu ipsum interdixerat. An non autem in tanta fructuum libertate, varietate, utendique libertate ab unica arbore abstinere facilimum esset? Certè qui horti & fructuum suavitatem ac varietatem, quam ante lapsum terraq; maledictionem maximam fuisse certissimum est, satis aestimare aut velle aut posset, præceptis hujus facilitatem nullo negotio agnoscere posset.

VII. 4. Lapsus insuper ex voluntatis, quam hujus causam efficientem fuisse, supra ostendimus, sanctitate ac libertate pendendus est: Factus enim etat homo rectus Eccl. 7, 30. in justicia & sanctitate veritatis Eph: 4, 24. Imago & similitudo Dei erat inclito odio malum odiſſe & amore perfecto bonum diligere, ait Gregorius lib. 2. in i. reg. c. 2. Fuit summa integritas, summa rectitudo, summa harmonia in omnibus potentijs, sine difficultate, sine luctu & sine omni rebellione. Jam quò sanctior, quò liberior primi hominis voluntas fuit, eò gravius, eñormius ac deformius ipsum peccatum habendum est.

IX. 5. Aestimatur etiam ipsius operis fœditas & deformitas, quamquilibet secundum triplex objectum, in quod peccavit, & secundum ea, quæ hactenq; dicta sunt, aestimans, agnoscere poterit.

IX. 6. Pœnae gravitas quid lapsus iste primus hominis fuerit, evidentissime ostendet. Illud enim peccatum, cui pœna personalis non sufficit, sed quod innumerabilibus & infinitis millibus horainum à justissimo Deo justissime puniri potest, illud certè non leve, sed tantum, ut cogitari & aestimari sufficienter vix possit, omnino esse oportet. Tale autem peccatum est primi hominis lapsus, qui non tantum in primis parentibus, sed & in omnibus ejus posteris, illum lapsum imagine Dei privatis, non tantum omnis generis malis, tristnis & adversitatibus, non tantum corporali & temporali sed & æternæ, animaq; atque ad-

eo totius morti subjectis, gravissime punitur, Ergo peccatum hoc omnium peccatorum gravissimum esse oportet.

X. Tandem lapsus iste ex Remedij preciositate commodissime agnosci potest. Ex singularitate enim remedij, ex magnitudine & multitudine sumptuum, ex difficultate laborum, morbi magnitudo & gravitas facile colligi potest. Lapsus autem hominis cum nullo medio nisi unici & dilectissimi Filij Dei preciosissimo sanguine curari potuerit, facile gravissimus deprehenditur. Cogitemus aeterni Dei aeternum filium, ideo carnem nostram imbecillem assumisse, cogitemus eundem plurimas adversitates & persecutions pertulisse, cogitemus ipsum sanguinem suum non sine acerbissimo dolore profudisse: Cogitemus Medicum nostrum fuisse Dei aeternum filium, Patri per omnia aequalis, Cogitemus ipsum fuisse Unicum & dilectissimum filium. Cogitemus ipsum tot adversitates, tot plagas, immo ipsam mortem meritum non fuisse, & istum lapsum, quid quantusque fuerit, pie estimare discemus.

QUAESTIO III.

De lapsus primi Hominis effectis.

I. Nos gravitatem minarum divinarum Gen. 2. Quacunque die comederis, morte morieris, estimantes, Mortem eamque & corporalem, in separatione corporis ab anima & spiritualem seu animae in remissione divina gratiae, auctotius hominis in privatione vita aeterna & cruciatibus inferni consistentem non solùm ipsum Adamum, sed & omnes ejus posteros introducere esse, affirmamus. Adam enim per malum istum actum malum habitum in naturam invexit, ex quo actiones viciorae seu peccata & ex ipsis peccatorum stipendum triplex ista Mors in omnibus hominibus consequitur.

B 2

II. Quod

II. Quod primam mortis speciem, mortem nimirum corporis, negant Photiniani & pernegant mortalitatem primi hominis lapsus effectum esse, quippe cum Adamus, etiam in statu innocentiae constitutus, nihilominus mortalis fuerit. Hinc ergo inter nos emergit status questionis. An nimirum mortalitas ista ex lapsu primi hominis tanquam ex causa sua provenerit, & illius effectum sic. Nos affirmamus, Photiniani negant.

III. Qui controversiae status ut evidentior fiat, & omnis elabendi occasio praecidatur, notetur 1. Immortalitatem accipi 1. pro absoluta moriendi impotentia, ex essentiae perfectione proveniente, quo sensu solus Deus immortalis dicitur. 2. Pro impotencia moriendi ex gratia creationis & materiae absentia proveniens, quo sensu angeli, animaque hominum sunt immortales. 3. Pro impotencia moriendi ex singulari Dei ordinatione, quo sensu corpora nostra post hanc vitam erunt immortalia. 4. Pro potentia non moriendi, quae est in eo, qui actu non moritur, ex conditione tamen posita mori potest.

IV. Mortale etiam duplex dicitur, 1. Pro eo, quod ad mortem & corruptionem propendet & inclinatur. 2. Quod tantum potentiam moriendi passivam habet, hoc est, quod aliquando mori potest. Hoc observato, dicimus cum nostratis Theologis. Hominem ante lapsum immortalem in quarta, Mortalem vero in secunda acceptione fuisse. Non ergo de immortalitate Deo propria, nec de immortalitate animarum, nec de immortalitate hominis, sed de immortalitate, quatenus potentiam non moriendi, & de mortalitate quae naturalem ad mortem propensionem significat, loquimur.

V. Ergo sententia Photinianorum est mortalitatem non esse effectum lapsus, sed Hominem ante lapsum habuisse naturalem ad mortem propensionem, & sic ex principio creationis mortalem fuisse. Quam ipsorum propriam sententiam esse ut cuvis pateat, nec nobis, quasi eis quiddam affingere (id quod Fr. Puccio accidit) velimus, objici posset, eandem ejusque explicationem ex proprijs ipsorum scriptis subjicere placet. Interdum enim tam sunt flexiloqui, ut Oedipo ferè opus sit, si sensum assequi velis.

VI. Sic

604

VI. Sic autem Faustus Socinus Res. ad object. Cutteni scribit: Adamus, antequam peccaret, quod ad ipsius naturam attinet, erat mortalis, ut post peccatum, sed post peccatum, non modo natura mortalis, sed etiam morti penitus obnoxius fuit. Itaque mors ipsa corporis, non quatenus naturalis est, sed quatenus est pro rata necessaria & in Adamo & in nobis peccati effectus censendus est. Idem Socinus in prælectionibus Theol. per totum caput i, hoc unicum probare laborat. Quod primus homo etiam ante lapsus mortalis fuerit.

VII. Ita idem Socinus in Responione ad argumenta Puccij p. 21. Non mors, sed conditio mortalis inerat in homine etiam antequam peccatum. Item p. 5. Cum nego hominem à Deo creatum fuisse immortalem, non intelligo ipsum ab ipso creationis initio morti penitus fuisse obnoxium, adeò ut omnino ei moriendum esset, sed tantum sui Natura morti fuisse subjectum, & non nisi divina gratia, qua in ipsa creatione donatus non fuerat, à morte immunem perpetuò esse potuisse.

VIII. Idem Socinus contra Puccium p. 57. Disputo & afferro, primum hominem etiam antequam laberetur & ex vetita sibi arbo re comederet, natura immortalem non fuisse, sed naturaliter, etiam citra aliquid impendens periculum, morti jam tum fuisse subjectum. Et pag. 54. Cum dico; hominem sui natura morti fuisse subjectum, nullo pacto anticipitem sensum sequi volo aut possum. Duo enim illa verba, sui Natura, omnem ambiguatem tollunt.

IX. Et ibidem: Hæc est, quod ad mortalitatē attinet, præcipua differentia inter nos & Adamū antequā peccaret, quod ille quidē mori poterat & suapte natura debebat, nisi divina gratia conservatus fuisset: Et post pauca: Qui Deo confidunt, moriuntur quidem non tam propter peccatum & necessariò, sed propter humanam ab ipso creationis initio conditionem & naturaliter.

X. Satis, opinor, clarè Phoriniani suam sententiam ipsi expnunt, quod nimis mortem non lapsus effectum sed natura conditionem, & sic hominem natura mortalem statuant. Non possunt ergo passivam moriendi potentiam, aut anima immortalitatem intelligere, Imò hanc omnino intellegant nolunt, ut

Viterum ex Fausti Socini Resp. contra Puccium p. 53. collectu est
faciliūm, ubi ita scribit: In hac quæstione mortalitatis & im-
mortalitatis primi hominis de corpore tantum agi, non autem
ullo pacto de anima p. 54. nec de mortalitate hominis, ad im-
pendentia pericula verba mea ullo modo quis pertrahere poterit,
sed ad primum ejus statum, quia semper præcedunt verba, Ab i-
pso creationis initio, per quæ impendens illud periculum pro-
pter divini præcepti negligentiam penitus excluditur.

X. Cognita ergo Photinianorum de Morte sententia, nos Mor-
talitatem, sive jam corporis, sive animæ, sive totius homines,
lapsus primi hominis effectum esset brevissimè probamus. 1. Ex
gravi illa comminatione divina Gen. 2,17. Quæcunque die come-
ris, morte morieris. Quam comminationem inane terriculamen-
tum fuisse, si mors jam ante lapsum fuisset, neminem esse arbi-
tror, qui non videat. Neque est, ut dicant Photiniani ista com-
minatione Dei tantum aut moriendi necessitatem, aut mortem
æternam aut mortis corporalis occasionem respici: Præterquam
enim quod hi diversissimæ explicationes malæ causæ & hominis
subterfugia quærentis indicium sint certissimum. 2. Similiter
nequeant. Cum moriendi necessitas sit omnium hominum, mors
autem æterna tantum impiorum; Nullam omnino moriendi
necessitatem ab ijs acceptamus, nisi prius mortalitatem, quam
ante hanc necessitatem moriendi fuisse dicunt, ex lacra Scriptu-
ræ fundamentis probatam dederint.

XI. 2. Ex alijs Scripturæ locis, in quibus peccatum & mors con-
junguntur, & illius effectus clarissimè ostenditur: Hinc Sap.
1. Deus mortem non fecisse (quod tamen omnino dicendum erat,
& mors ante lapsum fuisset) sed potius Sap. 2. In exterminabi-
lem creasse, Invidia autem diaboli mors in mundum intrasse di-
citur. Jam quomodo Deus mortem non fecisse, quomodo mors
invidia diaboli intrasse dici poterit. Si mortalitas à conditione
Naturæ, Cujuſ author Deus est, fuit?

XII. His addatur Rom. 5,12. ubi peccatum & mors (videlicet causam
& effectum) per unum hominem in mundum intrasse, Rō. 8. Mors
ubi peccati stipendiū, Ro. 8. ubi corpus propter peccatum mor-
tuum

ēūum legitur. Si ergo per unū hominem intravit, quomodo ex-
rit à Deo? Et sic peccatum clarissimè mortis causa innuitur? Ubi
autem causa nondum in actu existit, effectus certè adesse non
poterit.

XIII. 4. Ex creationis perfectione: quia de homine, ut & de re-
liquis animalibus omnibus, post absolutam creationem dicitur,
quod fuerit valde bonus, Mortalitas autem quomodo cum illa
concreta bonitate, sanitatem & justiciam hominis includeat
consister? Quomodo perfecta illa bonitas, sanctitas & justicia in
eodem subiecto cum mortalitate locum invenit.

XIV. 5. A similitudine & imagine Dei, ad quā homo creatus fuit,
quaꝝq; nō in nudo illo Dominio super bestias, ut vult Socin. p. 29.
contra Puccium, sed potissimum in ratione & intellectu iustitia
& sanctitate veritatis (Eph. 4. v. 24.) ornato consistebat. Quomodo
autem Mortalis homo cum Immortali Deo similitudinē habebit,
cum inter Creatorem & Creaturam analogia quædam requira-
tur, Immortali autem Deo nihil magis sit dissimile quam Mor-
tale?

XV. 6. Si mortalitas non est lapsus effectus, dicant Photiniani,
quaenam mortis infantium in utero matris expirantium causa
sit. Cettè peccatum actuale causa non est, quippe cum hoc sine
voluntatis consensu esse negent: Neque Originale est, hoc enim
Lutheranorum segmentum esse, in posteris Adæ nihil esse affi-
tramus, cum impossibile sit, ut Adam semel peccando omnes in
perpetuum peccato insicere non potuerit.

XVI. 7. Si mortalitas non est effectus lapsus, sed homini ante eum
in natura adfuit cogitetur. 1. Annon Christus Ratione suæ naturæ
dicendos sit mortalis, cum nobis per omnia excepto solo peccato
sic similis. 2. Annon Christus tantum à mortis necessitate, per
lapsum iutroductus, non autem à mortalitate, quæ homini est
naturalis nos liberasse dicendos sit, cum per Christum ea tantum,
quaꝝ per lapsum Adæ sunt amissa, restituantur

XVII. Si mors non est lapsus effectus, sed tantum per la-
psum occasionaliter introducta dicant Photiniani. Cur DEUS
peccatum tantoper averletur, Cur peccatores tanto odio profe-
quatur, quippe cum peccatum naturalem illa mortendi potentiam

in homine tantum excitaverit & infectum deduxerit: 'Leve enim
est id, quod fraus diaboli attulit, præce quo jam ante in natu-
ras, idq; à Deo, adfuit. DEUS author & Dux vitæ, qui homi-
nem fecit inextirpabilem, largiatur, ut dum in hac mortali-
tate sumus, mortem ejusq; effecta semper agnoscamus, animæq;
mortem declinare exinde discamus, donec tandem ad beatam
& æternam illam immortalitatem translati mortem timere am-
plius necesse non habemus, sed DEUM sine intermissio-
ne & sine celebrare & honorare possimus. Amen.


FINIS.



Ung. VI 23
=[Dissertationes
theol. Vol. 59]



Ref. 06
ZD 77



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

598
20

ORALIUM
lumnorum
SECUNDUM,
PRIMI
MINIS,
annuente,
eramine,
HUNNIE
D. & P. PORTAS
INSPECTORIS,
bergensi Academie
titum
RE FURMANO
Philosophicæ Adjuncto,
DENTE
MANNO Grimense.
Novemb. horâ i. pomerid. in
rum Electoralium.
ERGÆ,
GORMANNI
DO. XLIX.

